Goliński Gregorii: De situ Terrae in complexione universi.

QVÆSTIO
DE
SITV TERRÆ
IN COMPLEXIONE
VNIVERSI,

À

M. GREGORIO GOLIN SKI collega no[illegible]

Ad disputandum in Alma Vniuersitate Cracouien: proposita

Die Men: Aug. hora



CRACOVIÆ,
In Officina Francisci Cesarij,
Anno Dñi, 1625.



Plaudite Pegaſides Soleaq́; agnoſcite munus,
Quod vobis dederat Bellerophontis equus.
Nunc poſtquam Synthema crucis Witouius Heros,
Addidit ô quanto iam dare plura valet.

Gaſpar Lorkowic
Stud : Eloq.



Perillustri & Magnifico Dño,

D. STANISLAO

WITOWSKI, VEXILLIFERO LANCICIENSI MAGNO PROCVRATORI ARCIS CRACOVIENSIS, CAPITANEO NIEPOLOMICEN: NEOFOREN: KRZECZEVIEN: &c. Domino & Fautori vnicè colendo & obseruando S. & P. Felicitatem.

IN arenam Philosophicæ Palæstræ descensurus, Perillustris & Magnanime Heros, in ea tum demum me non infeliciter versaturum spero, vbi conatus à Tuæ dignitatis splendoribus lucem, & à fauore præsidium habuerint. Olim Macedonibus ab Jllyriis primo congreßu fugatis, Rex infãtulus in castra delatus, & pone aciem depositus, tantùm animorum addidiße memoratur, vt magnâ alacritate bello redintegrato amißam victoriã recuperauerint, ac sint contestati non antea vires; sed auspiciũ Regis præsentis sibi defuiße. Sed neq; mihi sub Tua Amplißime Heros protectione in certaminis Philosophici aciem prodeunti, minor spes de exitu dimicationis est concipienda qui

da, qui non minus belli quàm pacis præclaris rebus gestis, nomen Jllustrium maiorum tuorum propagâris. Vt enim prudentissima consilia, circa bonum publicum hominum oculos incurrẽtia taceam, ex tuis erga Remp: in bello meritis ætatis anteactæ, illa Smolesciana expeditio gloriosam & iucundam tui recordationem apud posteritatem fouebit. Quisq; enim similium æmulator, secum reputabit, quid ibi egeris, quàm strenuè cum hostibus dimicaueris, quantum periculi, pro securitate carissimæ Patriæ sustinueris, quàm fidũ te incolumitatis Regiæ custodẽ præstiteris. Quod si iudicio Sapientũ maius aliquid est animos hominum, quàm corpora superare, iure optimo & de hoc altero certamine industriæ Tuæ corona debetur. Quandoquidẽ legatione in Turciam suscepta, ita Othomanici Tyranni animũ deuiceras, vt facilè & Suadam in ore, & Consum in pectore barbarus etiam hostis persensisset. Hasce igitur virtutes tuas, ante oculos habens, quamuis arduam disceptationem hanc meam forè putem: magno tamen animo quicquid futurum est difficultatis

ficultatis

ficultatis aggredior. Tu modò perilluſtris & Amplißime Heros ſereno vultu, hoc quicquid in gratiam perauguſti honoris tui litatur, excipe & me Accademiamque matrem, Heroicâ Tua beneuolentiâ proſequi ne deſiſtas, Vale.

Perilluſtris & ampliſſ: Dominat:

Tuæ Obſeruantiſſimus

M. Gregorius Goliński.

QVÆSTIO.

V. In vniuersi ordinatione omnibus numeris perfecta terræ locus medius naturaliter debeatur nec ne?

CONCLVSIO I.

Vniuersi cōstitutio est in suo genere perfectissima.

COROLLARIA.

I. Vniuersum manens idem, partium additionem respuit.

II. Vniuersum ex solis corporibus simplicibus per se coalescit.

III. Mista sunt extra integritatem vniuersi.

IV. Vniuersum ~~est vnum ac finitum.~~

V. Orbica figura vniuerso est per quam consentanea.

CONCLVSIO II.

Vniuersi Partitio in regionem ætheream, & sublunarem ex natura partium desumitur.

COROLLARIA.

I. Figura circularis regioni ætheree est propria.

II. Modus existendi in loco nobilior debetur, parti vniuersi superiori.

III. Pars infima regionis ætheree est locus partis sublunaris.

IV. Mutationis in plaga ſublunari perpetuitatem Continuus motus in regione ſuperiore conſeruat.

V. Regio ætherea ſublunarem ſua natura cohibet atq; conſeruat.

CONCLVSIO III.

Situs atq; ordo partium tam æthereæ, quàm ſublunaris regionis accipiendus, in ordine ad medium vniuerſi.

COROLLARIA.

I. Pars vniuerſi quo eſt medio vicinior, eo minus ſpatium occupat.

II. Partes regionis ætheræ remotiores, à medio tardius moueri eſt neceſſe.

III. Coordinatio partium regionis ſublunaris, in vniuerſo, ex earundem qualitatibus innoteſcit.

IV. Ex Harmonia regionis ætheræ cum ſublunari & partium vtriuſq; pulchritudo vniuerſi conſurgit.

V. Actio mutua Elementorum nihil officit ordini vniuerſi.

CONCLVSIO IV.

In vniuersi coordinatione terræ locus medius naturaliter debetur.

COROLLARIA.

I. *Terra summa grauitate est affecta.*

II. *In partibus sublunaribus terra est simpliciter immobilis.*

III. *Terra est pars sublunarium despicatissima.*

IV. *Non est probabile terrâ aquam esse depressiorem.*

V. *Globus terræ à regionis æthereæ circumferentiâ æqualem distantiam retinet.*



